

omnibus rite paratis, ^{et} Bretoldus et totus eius exercitus [a] usque ad burgum Sancti Antonini venerunt, destruendo ecclesias, devastando segetes, incidendo arbores et vineas; ibique praelio a tribus partibus incepto [b], Faventinos conantur disperdere. Exercitus [Te]tonicorum cum Foroliviensibus et Caesenatibus aliisque multis, burgum Portae Pontis occupant per stratam usque prope pontem per iactum lapidis in viris, in mulieribus, domibus et in aliis quae ceperant [c] tranquillitatem exercentes. Ravennates cum Cerviensibus usque Portam Candianam [d] (79) per Caesaraulam [e] venerunt, oves et sues hostiliter interficientes. Ariminenses quoque cum Bretenorionensibus, licet invitati [f], per Pretolinum [g], usque crucem quae est in burgo, cucurrerunt, nihil hostile facientes. Porro cives, licet haberent oc [h] equos ad pugnam aptos, nec aliquorum amicorum freti essent [i] auxilio, gloriantes, quasi ad epulum [j] invitati, relictis peditibus Portae Imolensis ad custodiam urbis, exeunt civitate [k] et trifariam divisi [l], intus et foris signo sanctae Crucis signati, audacter insultum [m] in hostes impetu furiosissimo et clamore maximo faciunt.

ut Libyos - turbam
= Pind. Theb. 500-503

P. v. W.
Principio - aether =
Pind. Th. 589-594.

P. v. W.

Sic nostri cunctos invadunt fortiter hostes,
Ut Libicus cum forte procul agminē [n] vidit
Terga boum [o] passim virides errare per herbas,
Attollit cervice jubas, sifiansque cruoris,
In mediam erecto contendit pectore turbam.
Principio jaculis, post fiunt praelia [p] telis;
Mox rigidos stringunt enses, et fortibus armis
Decernunt, partesque oculis rimantur apertis;
Et modo tergore, tum modo duros fortibus ictus
Depellunt clypeis [q]. Ingens ad sidera clamor
Tollitur, et vastis repletur vocibus aether.

NB laeta Pind.

iactis
committunt

Taliter bello per maximum spacium crudelissime commisso, quidam ex nostris memores pristinae virtutis, ferocitatem quam in corde habebant, [r] opere adimplere volentes, hostes nulla ferrea veste obstante, spectantibus aliis, incidebant membratim; quo hostes viso, idem sibi evenire [s] timentes, laborant non in prima

[a] et totus eius exercitus. Sic lego cum C. V.; alii habent, et comes ejus etc. — [b] praelio a tribus partibus incepto. Sic lego. In C. M., praelio a tribus partibus incipit. In C. V., praelium a tribus partibus incepto. — [c] et in aliis, quae ceperant, C. M.; et aliis qui ceperant, C. V. [d] Portam Candianam. Sic lego. Codd. habent, petram candianam. — [e] per Caesaraulam, C. M.; per Cesarolum, C. V. — [f] licet invitati. Sic legendum. Codd. habent, initi. — [g] per Pretolinum, C. V., Pratolinum, legit Cl. Mittarellius. — [h] licet haberent oc. Sic lego. In C. V., licet hanc ducentum; Cl. Mitt., licet habent, oc. [i] freti essent, C. V. In C. M., fleti essent. Saepe amanuensis hujus codicis pro litera r. utitur litera l.; ita ut eum balbum fuisse credam. — [j] quasi ad epulum, C. M. In C. V., quasi ad epulam. — [k] exeunt civitate. In C. M., exeunt civitatem; in C. V., exeunt, tantum. — [l] trifariam divisi. In C. M., triphariam divisi. — [m] audacter insultum. Sic Codd.; audent facere insultum, legit Cl. Mitt. — [n] procul agmine. Sic lego. Codd., procul agmina. — [o] Terga boum, Codd.; iuga boum, alii. — [p] post fiunt praelia. Sic Codd. Corrige: post faciunt praelia. — [q] Et modo tergore, tum modo duros fortibus ictus depellunt clypeis. Sic lego. Codd. habent sic: et modo tergare, tum modo duros fortibus ictus depellitur clypeis. Quisque videt mendosum esse locum, amanuensis inicitia. Cl. Mitt., pro tergare, substituit terga dare. — [r] in corde habebant, C. M.; in caede habebant, C. V. — [s] idem sibi evenire, C. V.; inde sibi evenire, C. M.